

Alphonsus Aragonum Rex quesitus quid servaret sibi, qui tam multa aliis donare respondit: quæ dono. DREX., l. c.

S. Joannes Damascenus pulchre ait: « Certe nobilis pecunia Christus est. Ut ergo Christus pectoris tui loculum impleat, ab eo nummus abscedat. » S. JOANN. DAM. Op. XXIV, c. IV.

Anaxagoram patrimonium dives abdicantem allocutus quidam, nullane, aiebat, tibi patriæ cura est? cui illo intento in cælum digito: « Mihi vero, respondit, patriæ cura, et quidem summa est. » LAERT., l. III.

Bellerophon animam suam sub mortem sic allocutus est: Eas ad deos, pia, externis auxiliare, non irasebaris amicis. NADASI, in *an. Euch.* hebdom. xxiii, n. 7.

Transfer ad magnum sacrificium male peritura, suadet Lactantius. Lib. VI, c. XI.

DIGNITAS. — Fidelium calamitates, indignitatemque miseratus, facit in terris opera cælorum. SIDON., l. II, *Ep.* XII.

Prima stipendia pauperis tractantur in celo: erogatio pauperis prima scribitur divinis in diurnis. S. PETRUS CHRYS., s. XIV.

Misericordem te misericordia vult esse, ut in creatura sua Creator appareat, et in speculo cordis humani per lineas limitationis expressa Dei imago resplendeat. S. LEO, s. de *Comm.* SS.

Quidam mendicos non male Imperii (sed cælestis) Electores nominavit, quia ipsi suffragiis suis et precibus ad dicti Imperii possessionem promovent. CASPAR TAUSCH., in *Matre dolor.* l. XXX.

AUCTORES.

Franciscus Arias p. II, *Thesauri* tr. vi.
Hieremias Drexelius, in *Gaziophylacio*; in *Zodiaco symb.* VII, item in *Rosis Marianis*, p. II, c. IX.

Bernardinus Rosignolius, de *Disciplina Chr. Perf.*, lib. IV, c. XXVII.

Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. VI, c. IV.

Joannes Buseus, in *Viridario Virt.* V. *Eleemosyna.*

Petrus Canisius, p. IV, c. X.

Philippus d'Outreman, in *Pedagogo Christiano*, p. II, c. XXV, § 2.

Josephus Mansi, tr. LVII, in *Discursibus mor.*

MISERICORDIA ERGA DEFUNCTOS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua quis defunctorum miseras ex sincero compassionis affectu sublevare satagit.

DIVISIO. — Dividitur in corporalem, et spirituales. Illa est, per quam corporibus subvenitur, uti sit per sepulturæ officium. Hæc est, per quam animæ in Purgatorio detentæ liberantur.

ACTUS. — Pro redemptione animarum crebro et ferventer orare: Multum enim ad hunc finem valet deprecatio justis assidua: et quæ admodum Elias oravit, et impetravit pluviam, ita ad orationem viventium Deus dat mortuis refrigerium et gloriam.

Pro illis eleemosynas largiri: Si enim hanc ad propria peccata tollenda suasit Daniel dicens: Peccata tua eleemosynis redime: quidni etiam ad aliena sufficiat? Sic certe Judas Machabæus facta collatione, duodecim millia drachmarum argenti misit Jerusalem offerri pro peccatis mortuorum sacrificium. II MACH. XII, 23.

Jejunare, aliasque corporis afflictiones pro illis offerre: id quod plurimi Sancti hactenus fecerunt; et etiamnum hodie non pauci faciunt. DAN. X, 12.

SS. Missæ Sacrificium, aut Communionem pro illis offerre: quo illud Tobie referri potest: Panem tuum, et vinum tuum super sepulturam justis constitue. TOB. IV, 17. Si enim pane S. Nicolai Tolentini toties ignis hic materialis extinetus est, quidni similem, imo majorem longe effectum alicui huic Angelico ad restringendum Purgatorii ignem inesse credamus.

Operum suorum quotidianorum fructum satisfactorium usdem transcribere: si enim, teste S. Scriptura, sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur: quanto validior, sanctior et salubrior erit oratio, et a fortiori ipsa operatio? LUCAS TUDENSIS, l. I, c. XXVII.

Etiam indulgentias ipsis, quæ transcribi possunt applicare: quod quidem medium duplici ex capite aliis est præferendum I. Quia,

si plenaria sit indulgentia, omnem statim ponam, quantumque illa sit, una vice tollit, uti Christus ipse quondam S. Birgittæ revelavit, dicens: Hi, qui habitis indulgentiis cum charitate perfecta et contritione vera decedunt de hoc mundo, solvantur non solum a peccatis, sed etiam a penis; quia ego Deus non solum dabo Sanctis et electis meis quæ petunt, sed etiam duplicabo et centuplicabo propter charitatem. Lib. IV, *Rev.*, c. CII, 2. Quia, juxta probabilem multorum sententiam, non justis dumtaxat, sed etiam peccatores eam pro defunctis obtinere possunt. DAN., p. V, p. 3.

GRADUS. — Primus est, per quem tum officia ex debito præstanda, tum etiam spontanea certis temporibus pro defunctis offeruntur, uti plerumque fideles animarum illarum pia commiseratione tacti facere solent. Et hæc mensura bona vocari potest.

Secundus est, per quem quis omnem fructum satisfactorium ex bonis suis operibus proveniente, et alteri potiori titulo non debitum, quamdiu vivit, defunctis applicat, quemadmodum S. Gertrudis fecit et etiamnum hodie non pauci faciunt. Et hæc mensura conferri dici potest.

Tertius est, per quem non ille tantum fructus satisfactionis, qui ex propriis operibus totius vite tempore, obvenit, sed ille etiam, qui post mortem ex alienis suffragiis obtingit, singulari cum charitate transcribitur, uti Hernandus Monroy Societatis Jesu Sacerdos fecit. Et hæc mensura coagitata dici potest. RHO., *Virt.* lib. I, c. IV, n. 3.

Quartus est, per quem quis non contentus est, ut ipse misericordiam defunctis juxta mensuram prioribus tribus gradibus descriptam exhibeat, sed alios etiam ad idem faciendum sive sermone, sive scriptura, sive alio modo incitat, uti insigniter præstitit P. Jacobus Molfordus in tractatu de misericordia defunctis exhibenda, ubi fuse et solide probat, per hoc, quod aliquis sua opera quoad satisfactionem defunctis transcribat, non modo non agere contra ordinatum sui ipsius charitatem, sed potius præstantissimum ejusdem charitatis actum exercere, dum ejusmodi favores et gratias promeretur, quos nunquam sperare potuisset, si eadem opera sibi reservasset. Et sane visus est Deus, quam gratus sibi hic zelus fuerit manifesto miraculo comprobasse. Cum enim Coloniensis typographus, qui hunc libellum imprimebat, legisset in illo, non esse facile

efficacius medium ad quidvis a Deo impetrandum, quam misericordiam defunctis præstitam, et eo ipso tempore filiolus illius lethali ter ægrotaret, promisit se centum dicti libelli exemplaria Religiosis donaturum, si animæ purgantes integram filiolo suo sanitatem obtinerent. Et ecce vix conceperat votum, cum domum e templo redux advertit filiolum cibos, quorum nauseam per quatuordecim dies sustinuerat, sumere, postero die surgere, et paulo post omnino convalescere. Eodem postea medio etiam uxori a medicis jam depositæ sospitatem impetravit. Et hæc mensura *superfluentis* appellari potest. ANNUS 1650, fol. 41. *Prov. rom.*

EX S. SCRIPTURA.

UTILITAS. — Doleo super te, frater mi Jonatha, decore nimis, et amabilis super amorem mulierum. II REG. c. I, 26.

Ascendite Angelus Domini de Galgali ad locum flentium. JUD. II, 1.

Tu, quia pius es, miserere nostri. JUDITH. VII, 20.

Vestra abundantia illorum inopiam suppleat: et illorum abundantia sit vestræ inopiæ supplementum. I COR. VIII, 14.

Discurrere, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis: ne dormitent palpebræ tuæ. PROV. VI, 7.

Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aqua cor tuum ante conspectum Domini: leva ad Deum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium comitorum. THREN. II, 19.

Amice, accomoda mihi tres panes (nimirum immolationis Sacramentalis, orationis visceralis, et oblationis liberalis, seu eleemosynæ: his enim tribus panibus animæ purgantes recreantur). LUC. IX, 3.

Exi cito in plateas et vicus civitatis (qualis est purgatorium respectu civitatis cælestis) et pauperes (animas purgantes, quia earent mediis ad se redimendas) ac debiles (quia non possunt se juvare) et cæcos (quia lumen cæli, id est, Deum nondum vident) et claudos (quia ad cælestem patriam pergere non possunt) introduce huc, nempe ad æternum convivium. LUC. XII, 21.

Hos quidem (id est viventes) arguite judi-

catos illos vero (nempe mortuos) salvate de igne rapientes. *JUD. 22.*

ÆQUITAS. — Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini teligit me. *JOB. XIX, 21.*

Si videris asinum odientis te jacere sub onere, et non pertransibis, sed sublevabis eum eo; quanto magis animam sub tormentorum purgantium onere gementem? *EXOD., XXIII, 5.*

Quare persequimini me, sicut Deus (relinquendo in tormentis sine ope atque solatio?) et carnibus (id est, divitiis a me relictis) saturamini? uti Guilielmus Parisiensis interpretatur. *JOB. 22.*

Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu vero homo unanims, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, quod male de me post mortem sentias, et loquaris, et sine ope relinquo, hoc prorsus iniquum est. *Serm. 1, in die defunct.*

NECESSITAS. — Cor durum male habebit in novissimo, nimirum in similes penas incidendo. *ECCL. III, 27.*

Usquequo Domine, sanctus et verus, non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra, id est, amicis nostris opem negantibus? *APOC., VI, 10.*

Oblivioni datus tanquam mortuus a corde; *PSAL. XXX, 13;* quia perit memoria (nostra) cum sonitu, scilicet campanarum et flentium in sepultura nostra.

Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus. *PS. IX, 8. GEN. XLII, 21.*

Circumdederunt me mala, quorum non est numerus: circumdederunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem (Deum). *PS. XXXIX, 13.*

Stabant justi (defuncti) in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores (seu divitias eorum). *SAP. I, 1.*

UTILITAS. — Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur. *II MICH. XII, 46.*

Quantum orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob. XII.*

Oratio mea in sinu meo convertetur (quæ pro animabus facta est). *PS. XXXIV, 13.*

Facite vobis amicos de mammona iniqui-

tatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *LUC. VI, 16.*

SEPULTURA. — Mortuo non prohibeas gratiam. *ECCL. VII, 37.*

Secundum iudicium (vel, ut alii interpretantur, juxta mortem funebrem), contege corpus illius (mortui) et non despicias sepulturam illius. *ECCL. XXXVIII, 18.*

Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed eadem die sepelietur. *DEUT. XII, 23.*

Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, et honorem habeas matri tue in omnibus diebus vitæ ejus. Cum autem et ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me. *Tob. IV, 3.*

Panem tuum, et vinum tuum super sepulturam constitue. *Tob. IV, 18.*

Benedicti vos a Domino, qui fecistis hanc misericordiam cum Domino vestro Saul, et sepelivistis eum. Et nunc retribuere vobis quidem Dominus misericordiam et veritatem, sed et ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud. *II REG. I, 5.*

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Dilexi, et ideo prosequor eum usque ad regionem vivorum, nec deseram, donec precibus et fletu inducam virum quo sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis vita. *S. AMBR., in or. de obit. Theodos. imp.*

Festinate orare pro defunctis Ecclesiæ, ut ipsi festinent procurare, ut ipsis in gloria conjugamur. *S. AUG., l. 44, ad FF. in eremo.*

Ora pro defunctis, ut, dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant. Expectant enim nos, ut juventur per nos. Clamant quotidie, qui jacent in tormentis. *IBID.*

Unum ex sanctoribus exercitiis, et unam ex magis piis curis, quibus homo se exercere potest in hac vita, est offerre Sacrificia et eleemosynas, et orare pro defunctis, qui sunt in Purgatorio, quorum fratres sumus. *S. AUG., h. XVI.*

Pompa funebris, agmina exsequiarum sumptuosa, diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. Orationibus vero sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quæ

pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum universa observat Ecclesia. *IDEM, s. 34, de Verb. Apost.*

In quocumque loco fueris, et quacumque premaris paupertate, haurire potes, et trahere ex cordis tui puteo, qui intra te est, puram aquam et mundam, qui extinguas ignem, qui in Purgatorio tuos adurit amicos. *GERSON., in serm. Def.*

Maximum credimus esse animarum juvenem, pro quibus offertur obsecratio sancti illius ac tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.

Cum sacrificia sive altaris, sive quaruncumque elemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde bonis propitiationes sunt. *S. AUG., c. c, Enchir.*

Magis acceptatur Sacrificium pro mortuo, quam pro vivo; quia magis indiget, cum non possit sibi auxiliari, sicut vivus potest. *S. THOM., suppl., q. LXXI, a. 5, ad 3.*

Quemadmodum natura succurrit loco debiliore, providendo illi, sicut quando incidis tibi digitum, immediate natura impellit sanguinem, succurrendo illi: sic sit animabus Purgatorii, quia eleemosyna magis confert animæ egenti, quam non egenti, quia propter connexionem membrorum, et charitatis, quam habent ad invicem, illud provenit, quia reputant bonum unius fore alterius, quemadmodum cum homo dolet pedem, vel manum, aut oculum, cætera membra languent; ita debet esse, aut fieri circa animas Purgatorii. *S. BERN., tom. IV, 15, Extrav.*

In Machabaorum libris legitur oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotum, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. *II MACH. XLIII.*

ÆQUITAS. — Omnino extra viscera exulat charitatis, et omni est fraterno spoliatus amore, qui sua negligentia, aut vecordia miserarum suorum animas in purgatorii flammis ardere permittit, cum dicat S. Augustinus, nulla præsentis vitæ supplicia, etiamsi universa congerantur, Purga-

toris esse tormentis coæquanda. Hæc tecum sapienter pensites, velim, ut id agas ocuis in anima proximi, quod tibi insimilibus penis cuperes impendi. *CARTH., in Epist. ad Doct. Th. Colon., an 47.*

Transcamus per compassionem ad illos, quibus juncti fuimus per humanitatem. Vadam in istam regionem, et videbo visionem hanc grandem, quomodo pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occasionem, sed purificationem; non ad iram, sed ad misericordiam; non ad destructionem, sed ad instructionem, ut jam non sint vasa irre apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. *S. BERN., de Quinq. negot. et region.*

Exhibeamus animæ, quod aliena carni exhibebimus. Si uxor, aut filius, ante maritus mortui fuerint, in terram se collidunt homines, capillos trahendo, pectora tundendo, et in luctu ac lacrymis non parvo tempore perseverant.

Si multæ barbaræ gentes una cum defunctis res eorum cremare solent, quanto æquius tu defuncto filio tua tradere debes, non ut in cinerem redigatur, sed ut gloriosum magis reddas in celo? Putas ipsum maculis inquinatum abuisse? da ipsa sua, ut illis se a maculis detergat.

Cadit asinus, et omnes eum sublevare festinant: clamat porcus, et cum eo clamare cæteri non cessant: sed clamat inter tormentis fidelis, et non est, qui respondeat. Ecce vestra inhumanitas. *S. AUG., s. 44, ad Fr. in eremo.*

NECESSITAS. — Surgam in adjutorium illis: interpellabo gementibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari: si forte videat Dominus, et judicet, et laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam: nisi enim et hujusmodi officii potest eorum miseria relevari, finire labor, destriui pena. *S. BERN., s. de Negotiis.*

Qui in hac vita defunctos oblivioni dant, alienos in fructu omnium suffragiorum ibi in purgatorio crediderim, quamvis multa hic pro eis fiant, divina ulciscente injuria hujusmodi duritiam cordis atque injuriam. *CAJET. q. 5.*

O fidelem Samaritanum, qui viso homine vulnerato a latronibus et spoliato, misericordia motus est! Væ, væ pincernarum magistro, qui oblitus est Joseph sui interpretis cum de carcere esset eductus. Sic timeo, ne

multoties contingat, cum aliquis amicorum obierit, et pro se instanter petierit, ac fidei viventium se commendaverit, quod non nunquam oblivionem accipiat, aut parvam, aut tardius sentiat advenire expiationis hostiam, quam sperasset. THOM. A KEMPIS, in *Ep. de pia defuncti memoria*.

UTILITAS. — Scias, et indubitanter credas, quod, licet pro defunctis beatis vel damnatis obsecres, bona, quæ pro talibus facis, non amittis: sæpe enim prædicamus, quod nullum malum impunitum, et nullum bonum irremuneratum sit apud Deum: oratio enim tua in sinu tuo convertetur. S. AUG., s. 44, ad *FF. in eremo*.

Animæ ereptæ de purgatorio, dum adsunt cælesti gaudio, i miro modo interpellant, exorando pro his, qui eis subvenerint in hoc sæculo; Deus enim nihil illis negat. RICHARD DE S. VICT., ser. 27, de *Mortuis*.

Cupis, o homo, ut tui misereatur Deus? fac ut proximo miserearis in Purgatorio: nam tantum tibi miserebitur Deus, quantum tu misereberis proximo. Ora ergo pro defunctis. S. AUG., ad *FF. in eremo*.

Sustinetis accipere, quantum eleemosynæ pro defunctis exhibitæ nobis conferant? centuplum restituent. S. BERN., de *Regr. anim.*

Omne, quod defunctis causa pietatis impenditur, in nostrum tandem meritum transmaturatur, et illud post mortem centuplum recipiemus duplicatum.

Non frustra oblationes pro defunctis fiunt non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus dissolvit, volens ut nos mutuo juvemus; inde enim utilitatem accipiet ille per te, et tu per illum. S. AMBR., de *Offic. et ap. Mansi*, t. LXXX, d. 5, n. 3.

Qui pro defunctis orat, septem misericordiarum opera eis impendit, unde et ejus miserebitur Deus. Cibamus esurientes pane Angelorum, dum eas precibus deducimus ad Regna cælorum. Secundo potamus sitientes; dicunt enim: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Tertio vestimus nudos nuptiali veste, vestitu deaurato, enim charitatem in nos acuunt. Quarto peregrinos et exules hospitamus, dum in domum Domini lætantes precibus deducimus. Quinto captivos et carcere educimus dum infirmos illos, et amore languentes visitamus; in terra tandem viventium in Domino beatos sepelimus. S. CHRYS., h. XXI, in *Acta. MAURBURGUS*, apud *Mansi*, tr. LXXX, disc. 3, n. 3.

Quoties tu facis aliquod bonum pro anima

existente in purgatorio, tibi magis prodes, et plus mereris, quam si faceres decem tantumdem pro uno existente in hoc mundo, etiamsi esset in carceribus, infirmus, nudus, et famelicus; nam quanto magis egentibus hoc facias, tanto magis est bonum. S. BERN., t. II, s. 13, p. 2.

Nunc opis ferendæ tempus est, et tempus negotiandi; ac beatus quidem ille, qui spe minime titubavit, atque elanguerit: beatorum autem, qui et sua et proximi causa laboravit. Nam hoc etiam misericordem Dominum impensus oblectat, et exhilarat, cum quisque ad proximum juvandum celeri cursu contendit. Hoc, inquam, misericors ille vult, gratumque habet, ut nos omnes tum in vita, tum post confectum vitæ circulum multo alii ab aliis juvemur. S. Jo. DAM., or. de *Fide Defunctis*.

Studeamus defunctis exhibere studia charitatis, et sacrificii, orationibus, eleemosynis eorum temporalem miseriam relevemus, ut cum defecerimus morte corporis, dum illi a malis liberi, inter filios Dei fuerint computati, recipiant nos in æterna tabernacula.

LUCAS TUDENSIS, c. VI.

Talis oratio semper suum habet effectum quia sit pro illo, qui est in gratia, et qui satisfactione eget, nec eam pro se ipso facere potest, etc. Talis oratio ex majori procedit fide, quam ea, quæ fit pro viventibus; est enim necesse cogitationem elevare ad purgatorium credendum, et quasi ipsum per fidem videndum. Hæc oratio obligat aliquantulum in purgatorio existentes, ad par referendum, postquam fuerint in paradiso, et oratio eorum multum accepta erit Deo, et multum valens, etc. Hæc oratio est majoris necessitatis et festinationis, etc. Meretur, quod is, qui eam facit, pariformiter post hanc vitam juvetur oratione aliorum, et Ecclesie. Hæc oratio majori emanat charitate, quando fit pro illis potius, qui magis elongati sunt a nobis, non expectando par, nec gratiam, quam nobis agant, etc. Hæc oratio satisfacit obligationibus magnis, quibus vivi devincti sunt mortuis, ob diversa ab eis recepta bona, sive naturæ, sive fortunæ, etc. Talis oratio consolationem dat, vel gaudium aliquo modo Angelis, qui defunctos custodiebant, et facile est creditum, revelare illis, et consolari eos, pro quibus hujusmodi fiunt orationes, et sic cognoscunt illud, quod vivi faciunt eis. Talis oratio inducit hunc, qui eam facit, cavere a peccatis,

et citius poenitentiam agere, atque considerare, ne quicquam committat, propter quod talem incurrat afflictionem, etc. Talis oratio quando sit manifeste, malius exemplum dat aliis credendi vitam futuram. Hæc oratio persolvit multo majorem poenam, et prolixior, quam sit ea poena a qua talis fit oratio, et est, ac si asse uno redimeretur Francus, etc. Hæc oratio inducit potius illum qui orat, ad hanc vitam contemnendam et ad aliam tenendam memorando statum illorum, qui paulo ante vivebant. GERSON., s. 1, de *Defunct.*

FACILITAS. — Nullus est cujuscumque status homo, qui se excusare possit, quo minus velit mortuos, nec est, qui vere dicere possit, plorare non possum pro defunctis: non possum poenitentiam agere, devote pro eis lamentando. In quocumque enim loco fueris, et quæcumque premaris paupertate, potes, quod prædictum est, facere, haurire potes, et trahere ex cordis tui puteo (qui intra te est) puram aquam et mundam, ut extinguas ignem, qui in purgatorio tuos adurit amicos, quod verum est, quantum ad eos, te scilicet posse extinguere. *IBID.*, s. 2.

SEPELITURA. — Cum recolit animus, ubi sepultum sit carissimi corpus, et occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri commendat animam dilectam recordantis et precantis affectus. Qui cum defunctis a fidelibus carissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est illis, qui cum in corpore vivebant, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerant. S. AUG., 1. de *Cura pro mort.*, c. IV.

Sit pro viribus cura sepeliendi, et sepulchra construendi, quia et hæc inter bona opera in S. Scriptura deputata sunt: impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, et sua humana lenimenta meroris, oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis observantius, instantius, abundantius impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter amant. *IBID.*, de *Verbis Dom.*

EXEMPLA CATH. EXTERNA.

QUALITAS. — S. Martinus Canonicus Regularis in Legionensi S. Isidori cenobio refert, se e defunctis cujusdam Sacerdotis relatione didicisse, hoc concedi animabus in

purgatorio igne existentibus, quod diebus Dominicis et aliis Christi Domini festis e carcere exeant. Jo. NAD., in *Anno mortuor.*, heb. xxx.

B. Virgo S. Birgittæ quondam dixit: Sum etiam mater omnium, qui sunt in Purgatorio. Alias eidem dixit: Nulla est poena in purgatorio, quæ non propter me remissior erit, et lenior ad ferendum, quam esset. Hieronymo Caravalle Societatis Jesu subtristi propter purgatorium dixit: Ne ita angaris; nam ego non tantum sum advocata peccatorum in hac vita existentium, sed etiam, dum in purgatorio detinentur. Jo. NAD., in *Anno mortuorum*, heb. v, n. 3. Anno 1072 nocte festum B. Virginis Assumptæ præcedente, amicæ suæ quædam alia amica defuncta apparuit, dixitque: Illa nocte plures per B. Virginem animas et purgatorio liberatas esse, quam sint Romæ capita: cui cum ille credere tardaret, in signum veritatis, inquit: Hæc ipsa die, versante anno morieris. S. PETRUS DAM., l. III, ep. ult. Alius quidam ex purgatorio amico suo apparens affirmavit, solere B. Viginem nocte Nativitatis Domini purgatorium ingredi, multasque animas liberare in memoriam partus virginæ, item in resurrectione ob memoriam descensus Filii ad inferos. DIONYS. CARTH., s. 2, *Assumpt.*

S. Oswaldo de nocte oranti defunctus ille, pro quo orabat, apparuit, et quomodo hactenus habuisset, rogatus, hactenus, inquit, valde male (repente ex alto templi, ubi laborabat ruens, absque ulla proxima ad mortem preparatione decesserat) at nunc valde bene, tuis enim meritis et precibus, sœnis, quibus cruciabar, per Angelum suum me Dominus hesternò die liberavit. S. Birgitta quoque vidit regis ejusdem animam vehementer afflictam oculos in Angelum, qui poenas temperabat, obvertisse, et ipsis quasi loquentibus oculis significasse, se plurimum solatii a suo illo Angelo percipere. SUR., 15 oct.

S. Joannes Apostolus pro devoto quodam suo sic Beatissimam Virginem alloqui est auditus: Ecce anima amici nostri torquetur in poenis: venias, obsecro, et liberae eam. Descendit proinde cum illo ad purgatorium pia Virgo, et illam inde animam eduxere. THOMAS CANTIPR., l. II *Apum*, c. xxxv.

Abbas quidam quondam S. Angelum Custodem suum, cui S. Laurentius adstabat, vidit, et hæc verba dicentem audivit: Abbas

iste quem cernis Levita Laurentius est, qui martyrium ignis pro Christi nomine passus hoc privilegium accipere meruit, ut qualibet hebdomade animam unam purgatorii tormentis possit eximere. Jo. NADAST, in *Anno mor.*, heb. xv, n. 7.

S. Christina cum post mortem ab Angelo primum ad Purgatorium, inde vero visis tormentis ad conspectum Dei adducta, optionem a Christo accepisset, vel perfruenti beatudine, vel ad corpus, ut pro animabus purgatorii satisfacere posset, redeundi, posterius elegit, et nunc in ignes, nunc in ferventes aut frigore constrictas aquas se coniecit, aut in patibulo inter latrones pendit aut in sepulchris mortuorum delituit, aut alia ejusmodi opera penitentia suscepit, summo quidem dolore, sed absque corporis lésione, ut plura perpeti posset; unde mirabilis dicta est. SUR., 23 jun.

Cum S. Lydwina post septemdecim annorum morbum Angelus apparuisset, et optionem dedisset, an cælum ingredi, an vero diutius vivere, et defunctis succurrere vellet respondit ipsa: Male se usque in diem iudicii perseverare: cui mox angelus nomine Dei promisit, liberationem omnium animarum, quas novisset, et consanguineorum usque ad nonum gradum. Item quod post septemdecim annos in morbo hoc adhuc consumendus purgatorium visitatura, et quotquot peteret animas, liberatura esset. ELIAS A S. THERESIA, l. XXXV, c. XLVIII.

S. Eugardis orans pro quadam anima negabat se a lacrymis cessaturam, donec illam liberasset: unde Christus ei apparens dixit: *Equo animo esto dilecta; ecce hæc est anima, pro qua postulas.* SURIUS, in *Vita*.

B. Magdalena de Pazzis cum atrocitatem poenarum videret, et suum illis involutum curru peregrinationem instituisset, animam curru præeuntem, et semper splendidiorem fieri vidit. AN. CAP. 1607.

Monachus quidam Cisterciensis Ordinis religiosa admodum conservatione vitam suam consummans, tentationibus et ærumnis hujus miserabilis vitæ, morte interveniente, subtractus est. Quo defuncto, sacrista illius domus nocte quadam imminente in tempore vigiliarum, dum præstolaretur signum horologii, vigilans sedebat in lecto suo. Tum ecce spiritus ejusdem defuncti Fratris, tanquam solido, et palpabili corpore vestitus repente astilit coram ipso, sicque lamentabili voce allocutus est eum: Domine sacrista, ego sum ille frater nuper defunctus

monem libro insidentem, et prohibentem, ne eas absolveret, qui tamen, libro lustrali aqua consperso, aufugit, ipsa vero absoluta oratione animas e purgatorio exilientes vidit. VITA, c. XXXI.

Anno 1078 igniti Equites, olim milites, num juvari possent, petenti dixerunt: *Jejunis et orationibus, maxime vero oblatione corporis et sanguinis Christi adjuvari possumus, et rogamus.* TRITHEM., *Cron.* 1078.

Anno 1300 B. Virgo clerico apparens, dixit, propter jubilæum tunc Romæ celebratum omnes animas in purgatorio liberatas esse. JA. HAUTINUS, in *opere Euch.*

Duo religiosi in cœmeterio deambulantes absque prece defunctis fusa, audierunt vocem: *Hi, qui præterierunt, non dixerunt, requiescent in pace. Cum ergo redissent, et orantes dixissent: Ecce benediximus vobis: audierunt aliam vocem: Dominus Deus illuminavit vos.* ELIAS A S. THERESIA, lib. II, de *Purg.*, cap. XXXII.

Cum Frater Henricus de Kalstris mortuus esset per purgatorium transiens trecentas et triginta sex animas secum eduxit. *Ex Vita prædic.*

Puer quidam, dum super sepulchro matris orationem Dominicam, et Psalmum Miserere recitat, visus est ab Episcopo, hamo aureo, et linea argentea pulchram mulierem extrahere. *Spec. Ex.*, dist. ix, ex. 143.

Joannes de Alverna dum SS. Missæ sacrificium pro animabus offert æterno Patri, vidit animas cen multitudinem scintillarum de ignita fornace prodeuntem egredi e purgatorio et ad cælum evolare. *Idem.*, dist. xxi, ex. 2.

Ancilla quædam Valencenis, cum Dominus ejus pro defuncta quapiam persona curru peregrinationem instituisset, animam curru præeuntem, et semper splendidiorem fieri vidit. AN. CAP. 1607.

Monachus quidam Cisterciensis Ordinis religiosa admodum conservatione vitam suam consummans, tentationibus et ærumnis hujus miserabilis vitæ, morte interveniente, subtractus est. Quo defuncto, sacrista illius domus nocte quadam imminente in tempore vigiliarum, dum præstolaretur signum horologii, vigilans sedebat in lecto suo. Tum ecce spiritus ejusdem defuncti Fratris, tanquam solido, et palpabili corpore vestitus repente astilit coram ipso, sicque lamentabili voce allocutus est eum: Domine sacrista, ego sum ille frater nuper defunctus

sed cur ad te venerim, quæso, ut pietatis intuitu pensare digneris. Ego enim dum adhuc essem in corpore, licet per gratiam Dei vigilanter satis in observantiis Ordinis me ipsum exercitarem, in uno tamen graviter deliqui, quod scilicet sacrum Diaconatus Ordinem carnaliter concupivi, et ut ad hunc honoris gradum ascenderem sine respectu timoris Dei, valde inquietus fui. Quodque adhuc gravius est, absque condigna poenitentia hujus delicti de corpore exivi, quia nec tanti ponderis hoc fore putabam, quanti post mortem inveni. Sed pius Dominus mihi tibi comparere concessit, quatenus qui jam per me ipsum mereri nihil possum fratrum nostrorum, qui adhuc tam sibi, quam aliis misericordiam Dei promereri possunt, orationibus debeam adjuvari. Itaque, obsecro, per pietatem Domini nostri Jesu Christi, quatenus calamitatem meam Priori exponas, ipsum roges, ut in capitulo me absolvens, generalem orationem pro mea liberatione fratribus injungere dignetur. Ut autem noveris hoc, quæ vides et audis, phantasticam nequaquam esse illusionem, in augmentum veritatis, Psalterium, quod portarius, ante aliquot dies in Capitulo requisivit, et mundum invenit, in illo tali loco repositum invenies. Verum cum sacrista hæc audiret, et videret, et nullum miraretur tam insolitam novitatem rei, tamen cum esset homo maturi consilii, ipso die nemini quicquam super hoc verbo locutus est, reputans, ne forte tamquam somnator, aut demonibus illusus derisui haberetur. Nocte vero sequenti, dum sicut prius vigilans, et sedens in lecto suo, de his, quæ sibi præterita nocte contigerant, attentius cogitaret, rursus ille defunctus sicut antea vigilanti et stupenti apparuit, dixitque ei: Non recte agis, Domine sacrista, non recte agis erga me, qui iram Domini porto, quoniam peccavi ei, in cujus manus, quam horrendum sit incidere, utinam et tu non experiaris. O si scire possis, quam gravius est etiam minima poena animæ a carne soluta, profecto non tam negligenter ageres, sed totis viribus succurrere satageres. Quapropter etiam contestor te propter Deum, ne ultra dissimules, sed petitionem meam effectui mandare festines, quia spero me per orationes fratrum nostrorum, apud clementissimum Judicem Deum misericordiam adepturum. Ut autem totius dubietatis scrupulus de corde tuo tollatur, et me ipsum esse, quem paulo

ante viventem in carne, bene noveras, non dubites, ecce tolle de manibus meis Psalterium, quod portarius in capitulo quasivit, et nequid invenit. Tulit itaque sacrista de manibus ejus Psalterium, super tam inauditis mirabilibus Dei vehementer obstupefactus. Porro cum jam idem ipse sacrista scire volens, utrum nam solidum, et palpabile esset corpus, quod videbat, utrumne sic subjaceret tactui, sicut visui, cum haberet prope se virgam, tulit eam, et quasi tangendo experientia satisfacere, levi ictu vibravit illam, sed mox nullus penitus obstaculo resultantem, quasi per vacuum aërem, sic per corpus, quod apparebat, transducta est. Mane autem facti Priori et fratribus, quæ viderat et audiverat, immotui, Psalterium etiam, quod acceperat, tanquam veritatis pignus protulit. Sicque fratris illius anima per communes orationes et Missarum celebrationes poenis (ut credimus) absoluta, beatitudinis æternæ consortium Deo miserante promeruit. *Spec. Ex.*, dist. 3, ex. LVII.

Frater quidam ad prædicandum missus villam quandam intraverat, et ascenderat vespere solarium ad pausandum. Et ecce in opposita domo, perdit adolescentem ad funus defuncti convenientem, et obscenis vacantes lusibus vigilabant. Hæc ut audivit frater flere cœpit uberrime, prædictorum insanias miseratus. Nec mora, ut se deposuit super lectum, quidam astilit, ut sibi visum est, dicens: *Legatione fungor animarum in Purgatorio purgandarum.* Hæc enim mandat suis in derelictis possessionibus constitutus: « Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. » Et ait frater: *Ex his verbis cras tibi sermonis thema accipies, et repelles ludos execrabiles, quos vidisti, et induces homines, ut defunctorum amicorum pie subveniant animabus.* Nec distulit frater in crastino sepulcro corpore injunctam legationem convenientibus populis indicare. Tantumque in illo sermone profecit, ut omnes a minimo usque ad majorem ad tantam lacrymarum abundantiam commoveret, ut fervor mirus excitaretur in populo defunctis proximis subvenire. Et ludos execrabiles (quos prædicimus) removerunt. *Idem.*, dist. VII, ex. 35.

Dum quidam miles in lecto cum uxore sua esset, et luna valde lucens per rimas intraret, mirabatur quomodo homo rationalis Creatori non pareret, cum eidem crea-

turæ irracionales parent. Et dum cuidam militi defuncto, qui sibi fuerat familiaris, detrahent, subito ille qui mortuus fuerat, thalamum introivit, dixitque illi : Amice, noli male suspicere de aliquo, et condona mihi, si quid in te peccavi. Cumque super statu suo interrogaretur, dixit : Variis pœnis affligor, præcipue quia talecœmeterium violavi, et ibi quemdam vulnerans eum cappa sua expoliavi, quæ mihi superponitur, et uno monte me magis premit. Rogavitque, ut pro se orationes fieri faceret. Cum autem ille sibi diceret, an vellet, quod a tali, et tali sacerdote ipsas orationes faceret fieri; ille ad hoc nihil respondens, caput more reuuentis concussit. Deinde dixit, si vellet, quod talis eremita pro se oraret: cui ille : Utinam ille pro me oraret: quod cum se facturum promitteret, ait ille : Et ego dico tibi, quod ab hæc die usque ad duos annos tu etiam morieris. Sic ille disparuit, et miles vita sua in melius mutata, in Domino obdormiuit. *IBID., dist. vii, ex. 67.*

Legitur, quod quidam pisatores S. Thebaldi in autumno frustum magnum glaciei pro pisce prenderunt, de pisce gavisi sunt, maxime quia Episcopus dolore pedum laborabat, ipsam glaciem ejus pedibus supposuerunt, et magnum ei refrigerium præstabat. Quadam vero vice de glacie hominis vocem audivit. Qui ab Episcopo adjuratus quis esset, dixit : Sum quædam anima, quæ in hoc gelicidio pro peccatis meis affligor, et liberari possem, si triginta Missas sine intervallo 30 diebus continuis diceres. Qui cum medietatem dixisset, et se jam ad Missam aliam preparasset, diabolica suggestione contigit, quod fere omnes homines illius civitatis inter se bella moverent. Unde vocatus Episcopus ad sedandam discordiam, sacras deponens vestes, Missam illam illa die intermisit. Iterum reincipiens, et duas partes complens, exercitus magnus (ut videbatur) civitatem illam obsedit, et compulsus Missæ officium intermisit. Deinde reincipiens cum omnes ultima excepta dixisset, et ultimam inchoare vellet, tota villa et domus Episcopi accensa est. Cui cum servi dicerent ut Missam intermitteret, ille dixit : Etsi tota villa cremari deberet, Missam non dimitterem. Qua celebrata glacies protinus resoluta est, et ignis, quem se vidisse credebant, tamquam phantasma recessit, et nullum damnum intulit. *PETRUS DE NATAL., l. X, c. viii.*

Fuit quidam monachus Cisterciensis Ordinis bene religiosus secundum datam sibi gratiam, in Beate Mariæ servitio valde devotus. Huic ut calore religiosi propositi eo utilius, quo humiliter desudaret, suscitavit Christus æmulum unum de conclaustribus suis, qui in omnibus, quæ ageret, calumniam ei statuens, verbis et factis eum insectaretur, nec in hoc solum manus Domini super eum extenta, sed adhuc in flagellis duobus, uno corporali, altero spirituali. Quoties enim tonabat, auditum tonitruum ferre non valens, fere usque ad exitum animæ turbabatur. Sed et gutta, quam roseam vocant, certis temporibus illa faciem ejus excolebat, ut propter aspectus fœditatem infirmariorum sæpius et diutius tenere cogereetur. Cumque hæc infirmitate gravatus quadam nocte post matutinas isset cubitum, increpabat animam suam per dolorem compunctionis in lectulo corporeæ quietis. Paucis autem diebus ante evolutis, brevi temporis intervallo monasterii partem cum monachis fere quindecim e corpore Christus vocaverat. Dum ergo ille in orationibus vigilaret, in extasi facies vidit per medium infirmariorum transire exercitum monachorum, inter quos Abbatem suum, et Monachos illos, qui paulo ante obierunt, recognovit, quorum unus ad eum divertens, et ante lectum ejus subsistens, ait : Frater charissime, nos qui hic transimus, in monasterio, dum in hoc corpore viveremus, conversati sumus : omnes quidem gloriamur in spe, sed differimur adhuc a Regni introitu propter quorundam fratrum negligentiam, quorum, alii tarde, alii tepide, vel omnes ingrâte solvunt psalmos et orationes, quas debent per animabus nostris. Nec solummodo rei sunt apud nos; sed ipse Christus multa habet adversus eos. Ipsum enim provocant et excitant ad vomitum, dum tepide votum vite prioris æmulantur, et sanctæ præceptæ regulæ sine scrupulo conscientie transgrediuntur. Ipsi siquidem convenientibus in unum tempore et loco orationis et psalmodiæ, jam non est spirituale escam manducare, dum unusquisque presumit corde vanitatem ad delectandum, et anima eorum naseat super manna celestis, quasi levi cibo et contemptibili. Hoc autem iram Dei maxime provocat, quod in illa hora, in qua fratres ob reverentiam Trinitatis inclinant, aliqui cachinnant, et de otiosis occulte significant. Alii corpore et corde rigidi, vix, postquam Gloria Patri

dictum est, inclinant, sed nec dum Spiritui Sancto erecti curiosi per parietes vagantur. Alii in modum statuarum ad orandum stantes, sic somno sepulti sunt, ut nesciant, quid agant circa se, et nihilominus tamen incurvant se, et erigunt sicut cæteri, misera quadam consuetudine. Vade, et dic Abbati ex parte nostra, ut corrigere satagat has negligentias fratrum, quibus ad hoc speculator a Domino datus est, ut annuntiet eis peccata ipsorum. Sic disparente defuncto, monachus latenter surgens perrexit ad Ecclesiam, et ante quoddam Altare privatum toto affectu cordis orare cepit, statimque fuit in spiritu. Et respiciens per fenestram quæ super altare erat, vidit incandescere radium solis. Et ecce miræ pulchritudinis mulier per ipsam fenestram introivit. Quæ stans juxta eum dixit ei : Nosti, quæ sum ego? quæ respondente, nescio. Ego sum, inquit, Maria Mater Jesu, quæ veni, ut consolere gemitus tuos, et lenire dolores tuos. Vidi enim lacrymas tuas, et orationes tuas. Et factum est, cum hoc diceret, fratribus in choro, ad Gloria Patri, more suo se incurvantibus, ipsa cancellatis manibus reverenter et profunde, usque dum diceretur : sicut erat in principio, incurvavit se. Et rursum erecta dixit ei : Monachus ille mortuus, qui persequebatur te multipliciter secundum multitudinem malignitatis, qua te persecutus est, pœnas recepit. Et ut verum me dicere credas, esto sanus ab hæc duplici, quam sustines, infirmitatis peste, et tergens manica vestimenti sui evanuit ab oculis ipsius. In erastino vero Abbati rem secreta referens, indicio facie mutata, fidem ipsi, et cæteris fratribus fecit ad honorem Regine Angelorum, et Domine cœlorum. *Spec. Ex., dist. ix, ex. 142.*

Legitur in libro de Septem Donis, quod fuit quædam devota matrona, quæ in Ecclesia quadam Cathedrali solebat orare, et in angulo secreto prostrata cum maxima devotione dicebat Pater noster, et Ave Maria, et Credo in Deum, lacrymas tota liquescens, et pavementum profundens. Episcopus autem illius loci, homo sanctæ vite, vidit columbam de cœlo venientem, et lacrymas illas colligentem, et deferentem in cœlum, et cum hæc vicibus multis vidisset, vocata femina illa quæsivit ab ea, quæ esset oratio ejus; quæ cum respondisset sibi, dixit Episcopus : Quam felix esses, si Psalterium scires. Quod cum didicisset et oraret, Episco-

pus deinceps non vidit lacrymas, nec columbam : Unde abstulit ei Psalterium præcipiens, ut ad orationes consuetas rediret. Quod cum fecisset, vidit Episcopus, quod devotio pristina, et lacrymas, et columbam protinus redierunt. *IBID., ex. 144.*

Quidam filius habuit patrem qui obiit, et filius 32 annis pro anima patris quotidie specialem orationem fecit. Cui pater post hoc tempus apparuit dicens, se in magnis pœnis esse. Cui filius : Profuitne tibi oratio mea, qua 30 annis et ultra pro te oravi? Respondit pater : Non. Cui filius : Ergo damnationi (ut audio) subiaces, si nihil oratio tibi profuit? Respondit : Fili, non damnatus sum, sed purgatorio datus, ubi vehementer crucior, donec omnia peccata usque ad novissimum quadrante exsolvantur. Et ait filius : Cur ergo non presunt tibi orationes mee? Respondit pater : Quia semper per illud tempus in peccato mortali fuisti. Cui filius : Quomodo hoc, pater, esse potuit, cum annis singulis confessus sum, Sacramentum Eucharistiæ suscipiens? Respondit Pater : Quamvis annis singulis confessus communicasti, indigne tamen semper Sacramentum accepisti, quia contritio tua, et confessio vera non fuit, quia non ex charitate, sed ex consuetudine quadam processisti, in signum cujus confessionem distulisti usque ad ultimam septimanam quadragesimæ : quando præ confusionem confessionem tuam differre ultra timuisti, et in nullo post ad emendationem te dedisti. In quo reluctet, in tam longo tempore firrum propositum emendandi te non habuisse. Nullum ergo peccatum tuum Deus in eo tempore indulget. Qui compunctus postmodum vere fuit contritus et confessus, abjiciens omnes mundi vanitates in vestibus et moribus, ac gestibus, Deoque de reliquo serviendo. Qui tunc devotius pro patre oravit, et in brevi de purgatorio liberavit. *IBID., ex. 144.*

Petrus Cluniacensis Abbas dixit, quod quidam Sacerdos consueverat singulis diebus anni Missam pro defunctis celebrare, scilicet *Requiem æternam*. Qui cum de hoc accusatus esset apud suum Episcopum, suspendit eum ab officio. Cum autem Episcopus in quadam festivitate magna iret ad matutinas transiens per cœmeterium, visum est ei quod omnes mortui, qui erant in cœmeterio surgentes contra illum sub illo schemate, cujus officii quisque fuerat in mundo dicentes : Iste Episcopus nullas Missas nobis dat,

Reginæ Ungariæ, extinctæ matris umbram noctu dormienti visam obversari, lugubrique vultu ac flexis poplitibus orare, sui quam primum miseretur, ob vitam enim negligentius actam igne se penas luere; oravit infusa lacrymis, et gratias agentem, et alias etiam juvendas animas hortantem læta vidit. Cogita, tibi sic omnes et singulas supplicare. SURIUS, 49 nov.

S. Theresia virgo Cordubæ a communione suspensa, in Deum, mente vidit expurgantibus incendiis animas frequentissimo cœtu et gratulatione euntes, ac receptas in cœlum. Ducebat reliquas una formosior, et hanc etiam Jesus Christus inter Angelicamentium Ordines factus obviam animabus, divino suo dignabatur amplexu in signum benevolentie singularis, et amicitie sempiternæ. Hærebat admirationem inter et exundantes gratulantis cordis delicias suspensa virgo Theresia, ausaque interpellare animam de postremis unam, et petere omnia, singulaque, responsum accepit in hæc verba: Dux noster est e Societate Jesu frater unus: nos duci gratulamur, cujus virtuti ac precibus debemus quod hodie liberemur. De Omnipotentis adventu, nil mirum, nil novum: scilicet hoc est hominum Societatis Jesu privilegium, ut mortuum jesuitam obvius Jesus excipiat. Obierat eo temporis puncto quidam e Societate coadjutor, Cordubensis templi ædituus, qui religiose tricenos plus minus annos in Societate vixit, modestia, puritate, et cauta cum feminis conversatione laudatissimus. Quare de voce novit plurimas, de facie nullam. NAD., *heb.* IX, n. 1.

Dionysio Garthusiano religiosissimo viro quieta nocte ardentius precanti ignea quædam e Purgatorio species apparuit vehementer conquesta preces, quæ defunctis deberentur quorundam socordia differri; gravissimo id olim sensoros idem illis futurum, quod nunc sibi. Percellunt ea res a Dionysio narrata publice asceterium totum, et penitentia tacti alii, alii vero tenera miserabilium illarum animarum miseratione commoti, juncto studio in Sanctum, illas animas non segni ope et opera juvenandi exercitium exarsere. *ib.*, n. 4.

Apud Blossium S. Brigitta vidit Regis ejusdem animam vehementer afflictam oculos in Angelum, qui penas temperabat, obvertisse, et ipsis quasi loquentibus oculis significasse, se solatii plurimum a suo

illo Angelo percipere. BLOS., *Mon.* VI, XIII, § 2.

S. Petrus Damianus ait ab Eremita quodam narratum, in insula vulcana et sulphureis et ignitis illis cavernis, quas ollas vulcanias aiunt, visos demones, lætos alios, alios tristes prodire, causam interrogatos, respondisse lætos se esse, si animam quamquam, quam ad mortiferum facinus pertrahere nequeant, pertrahant tamen ad veniale peccatum; quam enim ad æternos inferni ignes allicere non poterant, magno totius operæ pretio ad horrendas Purgatorii penas pertrahi per has culpas. Tristes vero se tum demum fieri, cum vident, quod plures animæ in igne illo non totum a justo Dei judicio assignatum pœnæ tempus exacte impleant, quando importunis vivorum sacrificiis, precibus, jejuniis, elemosynis, et sexcentis corporis, animique afflictionibus eximuntur. Potissimum vero male sibi cum Cluniacensi cœnobio convenire ob ea, quæ illic, et plurima, et semper pro animabus illis fiunt suffragia. PET. DAM., *in Vita.*

S. Joannes Chrysostomus ait: Toto tempore, quo durat Sacrificium, prostratos circumstare Angelorum exercitus, eoque momento, quo finitur, ad Purgatorium evolare, et educere eas, pro quibus est impetratum.

Ab extrema Verbanorum ora prodiit Antea Lucensis generis femina, ingentibus virtutibus, nec usitato vivendi genere, magnorum etiam Principum aulis notissima. Hujus in accurando mortuorum negotio quanta fuerit sedulitas, quantus animi ardor, vix fando possit explicari; etenim quum perpetuo, ac durissimo jejunio, simplicissima in tunica hyemem toleraret, precibus continuim vitam ageret, et quodam divinitatis instinctu concursaret, Sabaudum, Mantuanumque Regulos, ipsumque Cæsarem adiret, quidquid auferre poterat, totum expeditissime illico piarum animarum nominibus impendebat: ob eamque causam, virginum collegia, hospitales ægris domos edificandas curavit: eo vero ardentis animi sensu, in id opus incumbere, ut omnes facile in sua vota pertraheret, cum mortuos suos, rustica quadam vocis inelegantia, sed plussquam civili diceret charitate. JOAN. RUO.

Oraverat Deum Catharina Ricciæ Ord. Præd. ut amici animam quam piacularibus flammis cruciari intellexerat, in beatam immitteret libertatem, quum res lente procederet,

seque minime audiri vidisset, ultro se paratam subeundis, quæ supererant, penis profitebatur. Audivit Deus, indulisitque grande amoris experimentum. Invasit virginem ardor adeo sævus, ut illa totis membris miseris modis æstaret, ipsumque cubiculum, concepto calore videretur ardere. Nulla tamen audita querentis vox: nam præclari facinoris conscientiam pro allevamento habebat, crevit etiam amor ausurus majora, si res posceret, ut flammis alii possit. *ib.*, n. 1.

Maria Longa Matrona Hispana, prima Neapolis curavit, ut sub primam noctem pulsata nota omnibus certis precibus Deo pro illorum liberatione supplicare juberentur. Manavit paulatim rei fama, et passim eadem usurpari coepit est precatio, ut jam fere nullus Christiani orbis sit angulus, in quo mos ille præclarus non vigeat, idque primis maxime tenebris fieri placuit, ne illi se in umbra mortis conspulsos esse justissime conquerantur. *ib.* n. 12.

Ursula Benincasa, virgo Neapolitana, cum jus et fas esse a viris doctis intellexisset, pro earum animarum penis, quæ purgatorio igne torquentur, se devovere, haud diu cunctata est, piacula, quæ Bernardinæ primum, mox etiam Catharinæ sororibus supererant luenda, in se libens transtulit, summisque precibus a Deo tenuit, ut eam voluntatem haberet ratam. Ergo acerbissimis doloribus decennium integrum pro Bernardina laboravit. Catharinæ cruciatus eam ad extremum usque exercentes, prius illi vitam, quam charitatem excusserunt, cui amare, quam vivere dulcius fuit. *ib.*

Christophorus Refrigerius C. R. nullam diem abire permisit, qua in cœmeterium ingressus, ibi attentissime, pre earum animarum æterna quiete non precaretur. Imo si quando ad sancti Silvestri in Quirinali aedes adibat Pontifex, statim aderat Refrigerius, pedibusque advolutus, grata summis principibus suavitate, indulgentias ab eo auferbat, ut illis vere ipse esset refrigerationi. *ib.*, n. 70.

Allartus Ord. Min. quæ diei hora sodalibus inter se religiose colloquendi fas est, ipse desistorum animorum miseratione instinctus, ubicumque locorum esset sepulchra omnia, quæ in templo, vel domestica erant, inter castra circumire instituerat, singulisque insistens solemne funeris Christiani carmen quod ab illis vocibus ortus est

Vates; *De profundis*, pie concinere, tum lustralem aquam levioris illis ignem appeccans injicere. Ad extremum, ubi privata in unumquemque charitatis officii erat perfunctus, septenos Psalmos, quos a penitentia dicitur, pro universorum liberatione, quanta maxima poterat pietate concinebat. Hæc Allarto animi remissio, et quies erat jucundissima: nam tum maxime acquiescere charitas videtur, quum suis empta laboribus miseris datur quies. *ib.*, n. 7.

S. Eltrudis virgo conjux Regia, Sacro monialium flammæ postea velata, Beatissimæ Virginis supplex facta impetravit, ut quidquid in Purgatorio luendum sibi esset, id nunc omne suo in corpore inflictis doloribus exhaureret. Ergo totum illi collum, et pectus (quod illas olim partes auro ad vanitatem, et propriam complacentiam exornasset) fedi tumores ad summum et doloris et fœtoris sensum implere. Historia Anglicana sub anno 1685, sancte extinctam refert integrum etiam a morte mansisse.

Anno Redemptionis 936, Christianæ Religionis decus Henricus rex Germaniæ, perdomitis circumquaque gentibus, postremo Romanæ proficisci statuit, sed infirmitate correptus, iter intermisit: cum jam se gravi morbo sensisset, convocato omni populo, designavit filium suum Ottonem Regem, tandemque multipliciter pietatis post se egregiis monumentis relictis, a Deo ad requiem vocatus est, relicta conjuge valde pia Mathilda nomine. Henrici corpus in Saxoniam deportatum in nobilissimarum ac religiosissimarum monasterio puellarum, quod in ipsius regis prædio situm est, et Quedlinburgum nominatur, in Ecclesia cum immensa est veneratione repositum. Ubi et venerabilis ejus conjux regniæ consors ex eadem gente Mathildis nomine pro delictorum expiatione, funebre exequiarum officium celebrari, vivamque Deo Hostiam offerri curavit.

NECESSITAS. — Joannes de Via de conventu B. Virginis Palmarum purgatorium ideo tantum sustinere debuit, quia aliquorum officiorum defunctis præstandorum oblitus fuerat.

Quidam Religiosus ex Familia Franciscanorum negligentem pro defunctis orans, gravissimas in purgatorio penas sustinuit, dixitque, nihil hæcenus sibi preces et sacrificia profuisse, eo quod Deus animabus illis in negligentia suam pœnam eas applicasset.

Quidam ex Ordine Cisterciensium apparebant agro monacho, et dicebant, se in purgatorio torqueri, eo quod aliqui ex monachis, debita obsequia non nisi perfunctorie præstissent. Videtur proinde, quid facerent, nam sic eos non solum defunctis, sed etiam sibi nocere. *Spect. ex.*, d. IX, ex. 144.

Quidam avunculus dixit, se quidem jam e purgatorio liberatum, sed ob socordiam nepotis in iis, quæ juxta testamenti vim curanda erant, suffragiis, et oblivionem, multa passum. Tu vero, inquit ad nepotem, in penam oblivionis tuæ alterum tantum patieris, supra omne id, quod passus sum ego, præter ea, quæ pro tuis culpis pati alias debes. His dictis discessit, nepos vero penitens facti, riteque confessus in lectum incidit æger, et inde in mortem. *Jo. NAD.*, in *Anno mor.*, heb. VIII., n. 5.

UTILITAS. — S. Gertrudis cum omnia sua opera liberaliter animabus transcripsisset, et inde timeret, ne grave purgatorium defectu satisfactionis propriæ subire cogere, Christus ei apparens: Filia, inquit, ut videas quam mihi placeat ingens charitas tua in defunctos, in compensationem tibi condono omnes pœnas, quas debes. Præterea, quid olim pro uno centuplum promisi, nunc manum dilatabo, et gloria te multo excellentiore præmiabo. Efficiam denique, ut animæ per te liberatæ tibi morienti assistant, teque in cœlum cum triumpho deducant. *CASP. TAUSCH.*, in *Matre dol.*, p. III, c. VII.

Eusebius Dux Sardinia cum certæ urbis reditus in animarum subsidium destinasset, eamque urbem Ostorgius Dux Sicilia occupasset, quadraginta millia Equitum candidatorum exercitum pro se pugnantem, et Ostorgium ad dedicationem cogentem, videre meruit. *Spec. ex.*, IX, *exem.* 184.

Cum quidam homo plebeius quoties per cœmeterium transisset, animas Deo commendaret, hæc post mortem illius summa cum solemnitate visæ sunt in templo exequias celebrasse. *IBID.*, *dist.* 3, ex. 64.

Miles quidam in cœmeterio ab inimicis deprehensus, cum consuetudinem suam, qua consueverat transiens orationem Dominicam recitare, omittere nollet, coeuntibus mortuorum ossibus et obvia arma arripientibus mirabiliter liberatus est. *IBID.*, ex. 65.

Sacerdos quidam pauper cum assidue

pro defunctis Missas diceret, postea vero apud Episcopum de defectibus quibusdam accusatus, et fidejussorem præstantem emendationis dare jussus nullum reperiret, visæ sunt animæ quamplurimæ manibus in aere extensis pro ipso spondere. *IB.*, ex. 118.

Quædam matrona vidit sub Sacrificio animas pauperum descendere, et secum animam illius Sacerdotis, qui earum confessiones libenter audierat, in cœlum ducere: quam ob causam etiam Deus cor illius moverat, ut ante mortem doleret de peccato mortali antea commisso.

Cum frater Henricus funus Franciscani ejusdem comitaretur, hujus anima apparens dixit: Tu diligenter orare soles pro defunctis, et ideo mecum viginti quatuor animæ cœlum ingressæ sunt, quas tu liberasti. *Vit. prædic.*

Cum Sancta Gertrudis quæreret ex Deo quot animas ad preces cujusvis dimitteret? respondit ille, ab occulto amore urgeri se, ut ad cujusvis preces magnum numerum dimittat, et speciatim tres animas ad cujusvis Psalmi versiculum. Cumque dicta virgo Psalmum recitare inciperet, et iterum quæreret quot ipsi animas donaret, respondit, se ab anima orationis amante permoveeri, ut tot animas ipsi donet quoties labra movet. *L. V.*, in fine, c. XXIII.

Quidam vir pius vidit in agone decies mille Sanctos ad se venientes, qui dicebant se per ipsum liberatos fuisse, atque adeo ad illum nunc consolandum venisse. *BINELLUS*, c. I de *Stato anim.*

S. Birgitta audiebat vocem animarum clamantium: Domine, da charitatem illis qui habent spiritualem potestatem, ut magis participes flammæ orationum; da omnibus, qui nobis succurrunt, centuplum in hac vita. *L. IV, Rev.*, c. VII.

Quidam Nobilis ad dilectam equitans cum prope patibulum transiret, jussus est a patibulario subsistere, et equo descendere, quem cum ipse conscendens perrexisset, vidit eundem a tribus Nobilibus sclopeto occisum, quæ quidem mors ipsi parata erat.

HEROL. P. RAUCH., c. XVIII.

Alius quidam eques nobilis Nolæ in Campania, quotidie pro animabus orare solitus, pridie mortis imminenti excitatur de nocte, et monitus, ut confiteretur; cum ad collegium accurrisset, et confessus fuisset, repentina morte extinctus est. *ELIAS A THERES.*, l. III, c. XLV.

Religiosus quidam in Anglia anno 716 a mortuis resurgens cum explicasset, se ex una parte peccata vidisse, ex altera virtutes, et infer hæc præcipue misericordiam erga animas, dixit, se propter hanc in vitam remissum, addiditque, secum Abbatem in judicio apparuisse, qui in agone propter dæmonum peccata exprobrantium aspectum desperaturus fuisset, nisi octo mille animæ ab ipso prius ex purgatorio redemptæ ei in judicio adstitissent. *BARON.*, t. IX, *Annal.*

Cum in Paraquaria ortum incendium a ventis undique dilataretur, incolæ novem sacra pro animabus purgantibus voverunt, et ecce mox venti cessarunt, ignisque extinctus est. *Ann. Societ.* 1635.

Sanctæ Gertrudi petenti, quam acceptus esset labor earum in Psalmo *De Profundis* recitando, respondit Christus: Tam acceptus, ac si memetipsum toties suo pretio a captivitate liberasset, quoties anima liberatur per orationes earum; et hoc ipsis indubitanter restituum in tempore opportuno, secundum Omnipotentiam meæ liberalissimæ pietatis. *L. V.*, in fin., c. XXI.

Cum quidam animarum liberandarum studio non modice addictus, quondam a tenebris in itinere deprehensus esset, repente dnas faces post se vidit, audivitque: Vade in pace, sumus animæ purgantes, volumus esse gratæ orationibus tuis: nec præluximus solum, sed aliud etiam infortunium impeditivum, nam fuit, qui te ex insidiis occidere voluit, sed in nostra præsentia non potuit. *KISSELIUS, conc.* 86, § 11.

S. Catharina Senensis postquam parentis animam doloribus et precibus oblati liberasset, sapius ab illa visitata, de dæmonis insidiis instructa, de arcanis vitæ alterius edocta magnum ad vitam et mortem sanctam emolumentum sentit. *NADAST, in Anno morien.*, heb. XII, v. 4.

B. Aleydis virgo lepra insanabile toto corpore percussa, et scabie vermicibus horrida, quotidie ter vel quater exquisitissimis cruciata doloribus, aiebat, se a Christo didicisse, ut omnia illa pro animabus offerret. Unde in morte Christus cum matre sua et colitibus illi apparens, et suo illam amplexu involvens dixit: Bonum certamen certasti, cursum consumastis, fidem servasti: propter hoc nunc venio, ut corona Martyris et Virginis decorata in æternam requiem introducaris. *Menolog. cister.*, 11 jun.

S. Nicolaus Tolentinus animam quandam

ipsam vocantem et sic alloquentem audiebat: Veni pater venerande, veni, et respice utrum te deceat acquiescere tantæ multitudini miserimæ, quæ me misit tuam misericordiam flagitare. Et ad locum illum duxit, ubi erat innumerabilis omnis ordinis hominum multitudo. Miserere, inquit, pater, miserere turbæ tam miseræ tuum auxilium expectantis. Nam si pro nobis dignatus fueris celebrare, maxima pars ab his atrocissimis penis eruetur. Quare cum is tota hebdomada cum facultate superioris pro mortuis celebrasset, adfuit iterum anima, et gratias agens dixit, se cum magna illius multitudinis parte a penis esse liberatam. *NADAST, in Anno morien.*, heb. II, n. 10.

Cervera in Catalaunia extat cœnobium Cisterciensis Ordinis, dictum S. Crucis, ubi quidam monachus sanctimonia floruit, cuius nomen superis notum mortales latet; at non hæc laudabilis ejus in piis animas pietas. Consueverat, quoties per sacros Canones, legesque licebat, Missas Defunctorum facere; propterea perennis animarum Purgatorii Capellanus appellabatur: celebris, et Patrum sermone ad hæc usque diem continuata traditio est, quondam cum cœmeterium transiret, humo elatam dexteram benedictione cum impertisse. Cum vero iter iterum istac haberet, iterum eandem manum solo extantem apparuisse ad bene illi precandum compositam: accessisse vero illum, et manum traxisse, eamque cum brachio secutam, quod brachium hodieque carne ac pelle vestitum illic visitur. *HENRIQ. in eodem Menolog.*

Divæ Catharina Bononiensis fassa est, plurima se beneficia defunctorum ope, quam flagitare consueverat, celitus accepisse; nec raro accidisse, ut ea per illos obtineret, quæ per cœlites nequaquam obtinerent. *HAUTINUS, in Patro. def.*, l. II, c. VII.

Suaserat Beata Anna a S. Bartholomæo cuidam mercatori (jam foro cedere cogitanti, quod aliquas merces dividere non potuisset) ut aliquot Missas in solatium defunctorum Deo sponderet, hæc lege, si intra spatium aliquod, quod definiebat, merces illæ, quas nemo appetebat, essent venditæ. Mirum dictu! intra paucas hebdomadas venire omnes, nec ex iis quicquam superfuisset. *IBID.*, art. 3.

F. Alphonsus de Portugallia ex eodem Ordine Seraphico, post quinque ab obitu suo dies spectandum cuiquam se præbens,